Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.
Wien, 1794 Seite 3181
Quelle:
Copyright:

quentia accedendi ad S. Coenam, cujus initium: *Uil priester vnd ander menschen layen gelert vnd vngelert frawn vnd man chlagent grosleich vnd bechummernt sich swerleich* &c. Traductus e Latino *Matthaei de Cracovia* melius *Crocovia*, quem dedimus *Codd.* variis.

DCCCCXLVI.

791 Codex membraneus germ. Sec. XV. Folior. 136. 8. probe scriptus, et deauratis picturatisque initiorum literis nitidus, *Precatorius* est. Praeit *Calendarium* adpictis inferne Possessoris Insignibus Leones binos albos in Area rubra gradientes exhibentibus, in quo observo adpellari Octobrem *Regenmonet*, et Decembrem *Hartmonet*, Festum item Visitationis B. V. M. *Verporgen vnser frawen tag*, quem usum apud Cll. *Pilgramum* et *Helwigium* non reperio, indeque derivatum puto, quod *Maria*, dum apud *Elisabeth* in Montanis abesset, quasi latens et abscondita haberetur. Inter Preces chorum ducunt *Horae* breves de Passione Domini, et Compassione Mariae, quas in Rubrica praevia *Johannes* Ep. *Olomucensis*; in subsequa vero petente *Elisabetha Anna* Marchione *Moraviae* composuisse dicitur. *Elisabetham* hanc *Sigismundi* Imp. Filiam esse censeo, cujus Marito *Alberto Austr.* jam a. 1423. *Moraviam* Socer concesserat habendam, Autorem vero *Horarum Johannem de Praga* Episcopum primo *Litomisslensem*, tum *Olomucensem* et S. R. E. Cardinalem Virum de utraque Rep. optime meritum, cujus laudes congestae sunt in *Jos. Wratisl. Monsei Infulis doctis Moraviae* p. 52. cuique *ibid.* p. 60. alia item Scripta, videlicet *Linea Salutis* et *Exemplar Salutis* tribuuntur. *Horas* porro nostras, quas ille inter annum 1423. et emortualem 1430. componere debuit, in *Codice* excipiunt Preces ad Deum, Divosque variis opportunitatibus adcommodatae, quas inter Oratio inscripta: *Das nachgeschriben gepett solt du sprechen deinem zwelfpoten.* Q. d. Isthac Formula deprecabere Apostolum tuum. Unde videas, viguisse quondam opinionem, singulis Hominibus praestitutum esse Apostolum, qui in extremo judicio Christi vicarius de iis sententiam ferret.

DCCCCXLVII.

Codex chartaceus germ. Sec. 844
XV. Folior. 72. 8. Collectio est *Precum* et Affectuum piorum ad Deum et Deiparam variis opportunitatibus inservientium, puta sub Missae Sacrificio, tempore Infirmitatum &c. Praecedunt Monita XVIII. inscripta: *Hailsame lehrn so Ain Mentsch in Andacht wachsen oder zuenemmen will.* Oratio quaedam afflictionum tempore dicenda dicitur: *genumen vs dem Landsperger*; is est *Joh. Justus Bojus Landsbergensis Carthusianus* celeber interioris vitae magister, de cujus vita et scri-